

Ita finem imponimus universae tractationi de criteriis ac regulis sive rationalibus, sive dogmaticis, quae ad sensum Scripturae inveniendum opportuna ac necessaria existimandae sunt. Nunc possumus tuto accedere ad expendenda falsa criteria, et falsas regulas ab eterodoxis scriptoribus assignatas, quorum examine ac refutatione concludemus hanc alteram partem Hermeneutices biblicae.

### SECTIO III.

#### DE PRAVIS QUIBUSDAM SACRAM SCRIPTURAM INTERPRETANDI PRINCIPIIS, AC METHODIS

Propositum nobis est non omnes pravae interpretandi methodos hic enumerare, cum humani ingenii aberrationum nullus sit finis: sed de iis tantum dicere quae in historia Exegeseos celebritatem quamdam adeptae sunt, et praecipue de illis quae hac nostra aetate vel prodierunt, vel favorem invenerunt, et a quibus proinde studiosis Scripturarum maxime cavendum est. Primum vero de antiquis breviter, deinde de recentioribus dicemus.

#### CAPUT I.

##### DE FALSIS QUIBUSDAM INTERPRETATIONIS METHODIS APUD ANTIQVIQRES RECEPTIS

Duas tantum hic memorabimus, nempe 1<sup>o</sup> *Cabbalam*, seu methodum cabbalisticam, 2<sup>o</sup> methodum *allegoricam*, seu allegoricae interpretationis excessum quorundam veterum interpretum.

I. *Cabbala* chaldaice idem est ac doctrina *accepta* (per traditionem); verum apud Rabbinos, et deinceps apud Christianos haec vox speciatim adhibetur ad significandam methodum quamdam interpretandi sacros Libros, qua ex mysticis quibusdam et conventionalibus verbis, et variis verborum hebraicorum, syllabarum et literarum comparationibus et calculis contendunt mysteria et abditos sententiarum biblicarum sensus erui posse. Aiunt enim huius artis magistri Moysem duplicem legem a Deo accepisse, alteram scriptam, alteram oralem, quae scilicet scribenda non esset, nec omnibus

revelanda, sed tantum senioribus quibusdam, qui viva voce illam per varias generationes usque ad ultima tempora dicantur transmississe. Hanc oralem traditionem dicunt esse legis scriptae interpretationem, quam rursus dividunt in *legalem* quae in Talmude reperitur, et *mysticam*, quam strictiori sensu *cabbalisticam* seu *cabbalam* appellant. Auctores Hebraeorum qui hanc methodum Scripturam interpretandi excoluerunt *cabbalists* audiunt: quorum praecipuus fuit Babbi Simon-Ben-Jochai, qui initio saeculi secundi aerae vulgaris floruit: ex huius dictis et interpretationibus discipuli serius volumen quoddam confluxerunt *Zohar* (ספר הזוהר) dictum quod est praecipuum opus cabbalisticum. Huic operi postea ad complementum additi sunt alii tractatus: ut ex. gr. (ספר הבהיר) *Sepher habbehir*, (זוהר חדש) seu *Zohar novum*, (ספר וצירה) *Sepher Ietsirah*, et alii nonnulli. Hi libri obscurissimi sunt et peculiari terminologia utuntur non multum dissimili a Gnosticorum loquendi ratione. Omnia entia dividunt in quatuor mundos scilicet *Emanativum*, *Creativum*, *Formativum*, et *Factitivum*. Mundus emanativus complectitur decem *Sephiroth* (seu splendores), quarum tres priores praecipuae sunt, et supremam classem efformant: primam appellant *Coronam supremam*, seu Infinitum (אין סוף), secundam, quae ex prima emanat, *Sapientiam* (חכמה), tertiam ex duabus antecedentibus emanantem vocant *Intelligentiam* (בינה). Has tres *Sephiroth* inscribunt tribus circulis concentricis. Septem aliae *Sephiroth* aliam classem constituunt quam vocant *cognitionem* (דעת) et sunt inferioris gradus sub nominibus sequentibus: *Magnitudo*, *Vis*, *Pulchritudo*, *Aeternitas*, seu victoria (נצח), *Gloria*, *Fundamentum*, *Regnum*: de quibus pertractat R. Joseph Ghicaitilla in libro cui titulus: שערי אורה *Portae luminis*. Decem *Sephiroth* decem circulis inscriptas disponunt in formam arboris quae dicitur *arbor Cabbalistica*. Similiter alios tres mundos dividunt in varias formas, unde similes arbores oriuntur. Sed sufficiat haec inuisse. Cabbalistica methodus subdividitur in tres praecipuae species, quae vocantur *Gematria*, *Notaricon*, et *Temura* pro vario artificio quo utuntur ad sensus eruendos; *Gematria* (ex Graeco γεμετρία) valorem numericum literarum hebraicarum considerat, *Notaricon* singulas literas pro integris vocabulis ab eis incipientibus accipit, demum *Temura* literas vario modo intermutat, et componit ut

varia exinde vocabula efformet sive conventionalia et Cabbalistica, sive ordinaria et usitata. De his legi possunt auctores qui de Cabbala ex professo tractarunt (1).

Si quaeratur quid de cabbala iudicandum sit respondemus imprimis duo esse distinguenda: 1° *Principium* fundamentale, nempe sub cortice verborum Scripturae occultos et profundiores aliquando sensus latere, quorum notitia per traditionem conservata fuerit, et 2° *Methodum* seu artem hosce sensus eruendi per vocum et literarum dispositionem, valorem numericum etc. Quod pertinet ad primum nihil obstat quominus principium illud admittamus, siquidem substantialiter non differt a sententia omnium orthodoxorum de mystico sensu in Scripturis latente. Quod pertinet ad secundum, seu ad methodum eruendi occultos sensus iterum distinguendum est inter sobriam et orthodoxam huius methodi applicationem, qualis invenitur apud Christianos etiam nonnullos scriptores, et abusum, quo methodus illa ad inepta quaeque, absurda, superstitiosa, impia convertitur, quemadmodum videre est apud plures rabbinicos huius scholae asseclas. Hoc alterum certe damnandum est: quinimo a nonnullis scriptoribus pantheismi et atheismi nota inuitur cabbalisticis Rabbinorum libris, licet alii verosimilium ab huiusmodi accusatione eos vindicent (2).

At si primo modo cabbala usurpetur, non est absolute damnanda, et a viris apprimè orthodoxis et catholicis probata et ex-culta fuit, ut a Pico Mirandulano, Sixto Senensi, Iansenio Ganda-

(1) De Cabbala copiose tractarunt Bartoloei, et Wolfius, et ex recentioribus Rosenroth in op. *Cabbala demudata*, et P. Beer: *Geschichte der Lehren und Meinungen aller bestanden und noch bestehenden religiösen Sekten der Juden, und der Geheimlehre, oder Cabbalah*, Braun, 1822, nec non Ad. Franck: *La Cabale ou la philosophie religieuse des Hébreux*, Paris 1843, de quo tamen vide notam sequentem.

(2) Ita et Paulus Drach non sine indignatione hanc accusationem a Franck (op. cit.) cabbalae impactam repellit in egregio opusculo: *La Cabale des Hébreux vengée de la fausse imputation de panthéisme par le simple exposé de sa doctrine*, Rome 1864. Media autem via incedens P. Boer op. cit. distincta philosophia cabbalistica secundaria seu recentiori, a primaria seu antiquiori, quae in opere Zohar et in libro Jetsirah exponitur, contentus est hanc tantum a Pantheismi labe purgare.

vensi, Galatino, Bonfrerio aliisque (1). Quinimo apud ipsos Ecclesiae Patres et antiquos Scriptores occurrunt cabbalisticæ interpretationis exempla, ut notarunt Sixtus Senensis, et Bonfrerius: ita ex. gr. Hieronymus in comment. in Ieremiam Can. XXV, v. 26 per hebraici alphabeti cabbalisticam permutationem explicat cur ibi propheta infausta de rege Babylonis nunciaturus pro *Babel* scripserit *Sesach*; ita etiam in praef. comment. in Threos et in Epist. ad Paulam Urbicam mysterium explicat latens in ordine alphabetico quo Threni Ieremiae, et nonnulli Psalmi dispositi sunt, et ex singularum literarum occulta significatione varia encomia Scripturarum, et affectus elicit. Plura huiusmodi observarunt Galatinus: *De arcanis catholicae fidei*, et laudatus Drach tum in opere cui titulus: *Deuxième lettre d'un Rabbin converti* Paris 1827, tum brevis in superius citato opere *La Cabale des Hébreux* praesertim Cap. III, quibus praeiverat Raim. Martini in celebri opere: *Pugio fidei* cum animadversionibus *Duvoisin*. Attamen, ut ingenue fateamur, nobis haec interpretandi methodus etiam intra hosce limites circumscripta, si absolute et per se spectetur satis arbitraria et offosa videtur; fateamur tamen eam utilissime adhiberi in disputationibus contra Iudaeos, qui ita ex praestantissimis, quos maxime venerantur, eorum libris et auctoribus revincuntur. Sub hoc respectu non possumus non mirari ingenium et reconditam eruditionem, nec non eximiam pietatem auctorum quos modo citavimus, cum ex arcanis cabbalae fontibus mira quaedam proferunt ad confirmanda et Iudaeis persuadenda catholicae fidei mysteria, ut Sanctissimae Trinitatis, duplicis in Christo naturae, peccati originalis eiusque remedii aliaque nonnulla (2). Placet haec confirmare iudicio ac verbis Sixti

(1) Hanc distinctionem confirmat ratio agendi Ecclesiae quae primi ordinis libros omnes decreto S. R. Inquisitionis damnavit, alterius vero ordinis permisit.

(2) Ita ex. gr. Picus a Mirandula ex prima voce sacri Textus בְּרֵאשִׁית per methodum *temura*, quae in literarum transpositione et varia compositione consistit, hanc sensum elicit: *Pater, per Filium, principium, (et) finem, creavit caput, ignem, fundamentum* (seu mundum intelligentiarum, astra, et terram) *magni hominis* (seu universi) *foedere dono*. Ita alii Christiani Cabbalistsae ex eadem voce eruerunt mysterium Sanctiss. Trinitatis per methodum *notaricon*, quae in hoc consistit ut singulae literae accipiantur pro totidem vocabulis quorum initiales sunt: itaque ex literis

Senensis qui in *Biblioth. sancta* lib. II, ita scribit: « Coeterum quia ex decreto S. R. Inquisitionis omnes libri ad cabbalam pertinentes nuper damnati sunt, sciendum est duplicem esse cabbalam alteram veram, alteram falsam. Vera et pia est, quae, ut iam diximus, arcano sacrae legis mysteria iuxta anagogen elucidat, quam in tertio huius operis volumine ostendemus necessariam ad divinae Scripturae interpretationem, producentes aliquos ex illustribus tam graecis quam latinis expositoribus, qui ea in explanationibus suis utuntur; hanc ergo numquam damnavit Ecclesia. » Deinceps vero in libro III postquam plura exempla attulisset ex cabbala *Gematria* et *Notarica* subdit: « Sant qui universum hoc expositionis genus explodant tanquam rem ludicram ac fortuitam: et rursus alii, qui illud superstitione admirentur, et usque in coelum tollant, quarum opinionum extremitatem ipse non approbans, arbitrator primum non omnino inventionem huiusmodi esse contemnendam, tum quia magnos, ut iam ostendi, habeat haec sententia auctores, tum quod multa sint in sacris literis, quae sine ea mystice explicari non possunt: veluti sacra quaedam poemata, quae ideo dicuntur alphabeticaria quod iuxta alphabeticorum elementorum ordinem disposita sint, ut Davidis Psalmi septem, mitropoedia Lamuelis Regis, ac Threni Ieremiae: quae quidem Hieronymus existimat non frustra, nec sine ingentibus mysteriis et Ecclesiae sacramentis in hunc ordinem literarum digesta. Ad haec et alia quaedam de nonnullis particularibus tam hebraeis quam graecis literis, quales sunt apud Ezechielem *Thau* litera hebraica signata in frontibus servandorum (Ezech. IX), et de *Alpha* et *Omega* graecis characteribus in Apocalypsi Iohannis (Apoc. I). Verum ut eos non damno, qui moderate et apte haec suis locis interdum accommodant, ita eos non laudo, qui eadem nimis anxie, et inutili ac prorsus inani labore prosequuntur; cum me non praetereat ex hoc fonte

dictionis **בראשית** efformarunt sententiam hanc: *Filius, Spiritus, Pater, tres, unitas perfecta*. Ita etiam Galatinus op. cit. Lib. VII, c. 13 ex phrasi **למרה המורה** quae de Messia legitur Is. IX, 6 efformat nomen matris

Messiae **כמרים שרה** in *Maria domina*, mutato scilicet duplici *he* in *jod* iuxta valorem numericum \* (10) =  $\overline{\pi}$  (5) +  $\overline{\pi}$  (5); cum autem in prima ex praedictis vocibus occurrat praeter morem *mem* clausum, dicit hoc designare eiusdem Mariae intemeratam virginitatem.

emanasse prodigiosam Valentinorum et Gnosticorum insaniam; qui ut Irenaeus et Epiphanius uterque in primo adversus haereses libro ostendunt, omnem divinam Scripturam iuxta hanc elementorum discussionem examinant, inaudita novarum haereseon portenta invulgarunt. » Hactenus Sixtus Senensis olim Iudaeus, deinde Ecclesiae catholicae et ordinis Praedicatorum decus. (Biblioth. Sanct. iuxta editionem expurgatam a P. T. Milante. Neapoli 1742, Tom. I, pag. 233 seq.).

## II. De interpretatione Scripturae allegoricae.

Methodus interpretandi Scripturam de qua nunc loquimur, quam alii *mysticam* appellant, alii *allegoricam* vel *allegorizantem*, quatenus ad nostram hanc tractationem pertinet, nihil aliud est quam abusus vel excessus seu mysticae interpretationis proprie dictae, seu accommodationis Sacrae Scripturae, illius praesertim generis quod *accommodationem allegoricam* diximus. Quare ad eius crism fere sufficiunt quae alias disputavimus partim in quaestione de sensu mystico, ubi sententiam *figuristarum* expendimus, partim in quaestione de sensu accommodato, ubi vitia in huiusmodi accommodatione vitanda indicavimus. Haec enim methodus una vel altera ex hisce causis reprehendenda est, nempe vel quia mysticam destinationem in iis rebus ac locis Scripturae supponit et existere contendit, ubi nullam esse constat, aut quia Scripturae verba accommodat, sive rebus incongruis, sive cum praeeiudicio historici ac literalis sensus. Hoc vitium, seu excessus allegoricae expositionis, Iudaeorum nonnullis auctoribus imprimis Philoni Alexandrino tribuitur, inter Christianos autem Origeni eiusque asseclis. Audiamus Hieronymum hoc vitium reprehendentem, et quod ipse in adolescentia ei paulisper indulserit conquerentem: ita enim scribit in praef. Comm. in Abdiam prophetam: « Cum essem parvulus ut parvulus loquebar, ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogitabam: postquam factus sum vir, quae parvuli erant deposui (1 Cor. XIII, 11). Si Apostolus proficit, et quotidie praeteritorum obliviscens, in priora se extendit (Phil. III, 13), secundum praeeptum Domini Salvatoris stivam tenens, post tergum non respicit: quanto magis ego, qui nec dum ad aetatem perfecti viri, et in mensuram Christi veni, mereri debeo veniam, quod in adolescentia mea provocatus ardore, et studio Scripturarum, *allegorice* inter-

pretatus sum Abdiam prophetam, cuius historiam nesciebam? Ardebat animus cognitione mystica; et quia legeram omnia possibilia creditibus, ignorabam diversa esse charismata, literas saeculi noveram, et ob id putabam me librum legere posse signatum. Sperabam in scriniolis latere quod scripseram, et ingenio mei primam temeritatem ignibus voveram, cum subito de Italia affertur exemplar a quodam iuvene, tot annis, quot ego quondam scripseram, laudante opusculum meum. Fateor, miratus sum, quod quantumvis aliquis male scripserit, invenit similem lectorem sui: ille praedicabat, ego erubescere, ille quasi mysticos intellectus ferebat ad caelum, ego demisso capite, confiteri meum pudorem prohibebat. Quid igitur? condemnamus, in quo pueri lusimus? minime: sed libere profiteor illud fuisse puerilis ingenti, et hoc quod nunc scribo maturae senectutis. » Aliquid simile accidit Augustino in explicatione libri Geneseos, quem primo allegorice exposuerat perterritus difficultate historici ac literalis sensus, ut ipse narrat in *Retract.* libro I.

## CAPUT II.

### DE PROTESTANTUM, SOCINIANORUM ET RATIONALISTARUM SCRIPTURAM EXPONENDI METHODIS

Dicemus imprimis breviter de historia Hermeneutices sacrae apud eterodoxos ab epocha Reformationis usque ad nostram aetatem, tum vero in expendendis Rationalistarum principiis ac systematibus praecipue immorabimur, cum de Protestantum methodis alibi dictum fuerit, Socinianorum vero principia interpretationis vix aut ne vix quidem a rationalismo biblico discrepent: quare de his satis erit pauca in historiae decursu animadvertere.

## ARTICULUS I.

### PRAEDICTORUM SYSTEMATUM ORIGO PROGRESSUS ET VARIAE FORMAE

Quamvis antiqui haeretici praecipue catholica principia, et Scripturam ad suos errores contra Ecclesiae mentem et iudicium detorquerent, generatim tamen non enunciabant theoriam

aliquam, qua dicerent Scripturae interpretationem independentem esse a sensu Ecclesiae et traditionis: quinimo omnibus modis conabantur Ecclesiam et Patres in suum sensum pertrahere. Verum saeculo XVI reformationis religiosae antesignani Lutherus, Calvinus, Zuingleus alique formaliter, uti aiunt, enunciarunt hoc principium: *Unumquemque fidelem per se, et absque ullo respectu ad authenticam Ecclesiae magisterium, Scripturam intelligere posse, et ex ea fidei suae normam accipere.* Lutherus in lib. *De Institut. ministr. Eccles.* (Opp. lat. Ienae 1537 Tom. II, pag. 384) disserens de dogmatica Scripturae interpretatione, nonnullis adductis textibus, subdit: « His locis. . . . totius Scripturae docemur, ut nostrae propriae quisque per se salutis rationem habens, certus sit, quidquid credat et sequatur, ac index liberrimus sit omnium. » Et in *Confess. Augustana* (Lutheranorum) Art. XV legitur: « Credimus, conflentur et docemus, unicam regulam et normam, ex qua omnia dogmata, omnesque doctores iudicare oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophetica, et apostolica tum Veteris tum Novi Testamenti scripta. » Eadem leguntur in *Confessione Helvetica* (Calvinistarum), in *Confessione* seu XXXIX articulis Anglicanorum, et in libris omnium sectariorum illius et sequentis aetatis. Hoc igitur commune fuit principium omnium Protestantum. Verum in ratione explicanda qua unusquisque Christianus deberet, aut posset Scripturam intelligere, inter se dissentiebant, et in duo diversa systemata abierunt: aliud est systema *rationale* Lutheranorum, Episcopaliū aliorumque, qui ex *privato uniuscuiusque iudicio* dicebant Scripturae sensum certo determinari posse, idque sive ob Scripturae evidentiam, sive saltem adhibitis Hermeneuticis sacrae adminiculis: aliud est systema *pietisticum* a Calvinistis proclamatum, et ab aliis minoribus sectis deinceps receptum, in quo supponitur unicuique fidelium Spiritum Sanctum adesse interna, et *privata illustratione atque unctio* suggerentem et revelantem Scripturarum sensum, omniaque ad fidem et salutem necessaria. Principia huiusmodi longe lateque disseminata paulo post fructus suos edere coeperunt, discordiam nempe incredibilem, et babelicam confusionem in Protestantum castris, quae vivente adhuc Luthero in tantum exereverat, ut ipse exclamaverit, nisi finis mundi cito